



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

bus Orientis, quod si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui dum ambulasset, occurrit ei omnis ciuitas cum cereis & crucibus in honore B. Apostolorum Petri & Pauli. Et gaudebat Iustinus Augustus se suscepisse in partibus Græciæ Ioannem Papam Romanū, sicut Constantinus Augustus suscepit Siluestrum Episcopum. Qui Iustinus dans honorem DEO humiliavit se pronus, & adoravit Ioannem beatissimum rogantem cum grandi fletu, vt legatio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui postquam obtinuit, propter quod ierat, ipsi Iustino Augusto, vt vicarius B. Petri Apostoli rogatus manibus suis cum gloria coronam impoluit. Eodem tempore Theodoricus rex hæreticus tenuit duos senatores præclaros & ex-consules, Symmachum & Boëthium, & interfecit eos gladio. Cum verò Ioannes venerabilis Papa, & Senatores eius comites reuertentur à Constantinopoli, prædictus Rex hæreticus cum grandi dolo & odio suscepit eos, quos etiam gladio voluit interficere, sed non ausus est metuens indignationem Iustini Augusti, quanquam permiserit in custodia afflictos * cremari. Ipse verò Papa afflictus ^{* cruciari.} in custodia defecit, & mortuus est martyr, 15. Kalend. Iun. Quem statim derepente est intereundo subsecutus ipse Theodoricus rex hæreticus. Corpus verò B. Ioannis translatum est de Rauenna, & sepultum est in B. Petri basilica 6. Kalend. Iun. Et cessauit Episcopatus dies 58.

LVI.

FELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annis 4. mensibus 2. dieb. 13. Et sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus diebus 3.

LVII.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Sigebaldo, sedit annis 2. diebus 26. Hic fuit ordinatus in basilica Iulii sub intentione cum Dioscoro, qui ordinabatur in basilica Constantiniana. Fuitq; dissensio in clero & senatu dies 28. Sed Dioscorus ipso anno 2. Idus Octobris defunctus est. Quem Bonifacius zelo ductus cum grandi amaritudine sub chirographo anathematizauit, & eum archiuo Ecclesiæ retrusit. Sed ei nullus subscribere voluit. Hic congregata Synodo in basilica B. Petri Apostoli, fecit cum chirographis sacerdotum iusiurandum ante confessionem Apostoli Petri in diaconum Vigiliū, vt sibi succederet. Vnde facta iterum Synodo

S censue.